



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

Castro Palao, Fernando de

Lugduni, 1669

§. 1. Legislatur an suis legibus obligetur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

PUNCTVM XXIV.

Qui teneantur legibus, tam civilibus, quam Ecclesiasticis.

Variæ sunt personæ, de quibus dubitari potest, an legibus teneantur.

- Primò, de ipso legiflatore.
- Secundò, de pueris, ebriis, & amentibus.
- Tertiò, de peregrinis, & forensibus.
- Quartò, de residentibus extra territorium.
- Quintò, de Ecclesiasticis personis respectu legum civilium.

§. I.

Legiflator an suis legibus obligetur.

- 1 Distinguitur duplex obligatio.
- 2 Obligatur directiva obligatione.
- 3 Unde nascatur hac obligatio.
- 4 Hanc obligationem esse grauem, qui consensant, & quibus prohibetur.
- 5 Probabilis est scilicet scandalo, aliæque ratione extrinseca solam esse venalem.
- 6 An hæc obligatio in fit Principi respectu legum, qua ab inferioribus feruntur, & ab ipso confirmantur.
- 7 Proponitur obiecto, & soluitur.
- 8 Testamentum, & institutio hæredis facta à Principe absque solemnitate valet, non tamen valet testamentum in fauorem Principis factum, nisi ipse prius dispensauerit.
- 9 Obligari ad penam nullus legiflator potest.
- 10 Vxor legiflatis, beneficio legiflatoris exempta præsumitur.

Dupliciter obligari potest. Primò ad culpam. Secundò ad penam. Prima obligatio vocatur directiua, quia dirigit lex, quid faciendum sit. Secunda obligatio est coactiua, quia cogit legiflator penæ impositione ad legis obseruationem.

De obligatione ad culpam communis est sententia cum D. Thom. 1. 2. q. 96. art. 5. ad 3. legiflatorem suis legibus obligari, quando leges respiciunt materiam communem, & accommodatam subditis, & legiflatore, indecens enim est legiflatorem non se conformare & suis subditis: & aliud prædicare verbo, aliud docere exemplo, poterat enim illi obici, quod obiciebatur Pharisæis, nempe Regere alii onera grauiam, & importabiliam, cum tamen ipse nolit digito sub ea mouere. Quapropter in eum omnes, de consuetudine, dicitur, parere legem, quam ipse interius, nam scis, quod quicquid in alterum statuit, ipse eodem vi debet: sic Nauar. in 1. q. si quando, de rescriptis, except. 1. & consuet. de penit. & remiss. Couar. in cap. alma mater. 1. part. §. 1. n. 5. Suarez lib. 3. de legibus, ca. 35. num. 4. Salas disp. 1. 4. de legibus, sect. 2. n. 11. & segg. Lessius lib. 2. de iustit. c. 15. dub. 5. Bonacina disp. 1. de legibus, q. 1. p. 6. n. 19. Azor. lib. 5. c. 1. §. 9. & alij plures ab eisdem relati.

Difficultas autem est, unde hæc obligatio oriatur, an lege ipsa, qua ceteros adtingit, an ex lege aliqua naturali? Ex lege enim ipsa non videtur oriri posse: tum quia nemo in se ipsum exercere iurisdictionem potest, quia non potest esse superior, & inferior. Tum, quia obligatio legis positivæ à voluntate legiflatores pendet. Poterit ergo legiflator velle alios suis legibus obligare, & se ab obligatione eximere: & ita credendum est fieri, quoties legem à se latam transgredietur. Efficitur ergo solum ex ipsa rei natura oriri talem obligationem. Quapropter cum legiflator absque causa transgredietur legem alius impositam, non peccat aduersus suam legem, sicuti non peccaret quilibet alius, quem legiflator absque causa à legis obseruatione eximeret: peccat tamen aduersus legem naturalem distantem legiflatorem debere verbo & exemplo subditos ad virtutem promouere.

Quarta autem sit hæc obligatio, grauis, an leuis? Couar. in cap. alma mater. 1. part. num. 5. & 7. Valquez plures referens 1. 2. disputat. 167. c. 7. Sayrus in claus. regia, lib. 12. cap. 9. num. 2. Syluest. verbo lex, quest. 14. existimant esse grauem, quia grauis est materia per legem præcepta, quia ipse teneatur illam exequi, vel ex obligatione suæ legis, vel ex obligatione iuris naturalis: sed à quocumque oritur obligatio, debet esse grauis, siquidem respiciat materiam grauem. Ergo. Et confirmo, cum legiflator omittit ieiunium, vel Missam à se generaliter præceptam, peccat aduersus illam virtutem, aduersus quam subditi peccant omittendo præcepti obseruationem vs teneat Suarez lib. 3. cap. 35. n. 8. Lessius lib. 2. cap. 35. dub. 5. Bonacina punct. 7. num. 24. & alij relati à Salas disp. 1. 4. sect. 2. n. 17. Sed subditi illos peccant grauius, quia materiam grauem alicuius virtutis omittunt. Ergo etiam legiflator eandem omittens grauius peccabit. Adde si ex præcepto naturali teneatur quis

Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars 1.

feruare ieiunium, vel Missam audire, cui debium esse potest peccatum grauius committentem? Sed legiflator imponens legem ieiunij, ex lege naturali teneatur ieiunium seruare, neque potest se abique causa ab illius obligatione eximere. Ergo peccat generaliter, si omittat.

Nihilominus probabilis censo solum esse peccatum veniale scilicet scandalo, vel alia ratione extrinseca: sic docet Lessius cap. 35. dub. 5. Bonacina num. 23. Azor. lib. 5. cap. 11. q. 1. Salas de leg. disp. 1. 4. sect. 2. num. 17. & segg. & disp. 20. sect. 12. num. 104. Moucor, quia non videtur grauis deordinatio legiflatores in vno, vel altero actu subditis non se conformare, quia ex illa deformitate non sequitur perturbatio in republica, neque aliquod graue inconueniens: cum autem tota ratio obligationis in legiflatore inde nascatur, efficitur sane grauem non esse. Quapropter non est attendenda grauitas materis secundum se, sed in ordine ad fidem præceptum, concedo enim ieiunium in ordine ad temperantiam, & Missam in ordine ad religionem, esse grauem materiam, ac proinde illorum vnicuique omissionem culpam grauem efficere: at in ordine ad regimen reipublicæ rectum, & pacem in illa seruandam nequaquam grauem esse. Cum ergo legiflatore præcipiente ieiunium, non præcipiatur illi ieiunium ob temperantiam, sicuti præcipitur subditis, sed ob regimen rectum reipublicæ, non peccat grauius, etsi illud vna, vel altera vice transgredietur, sed solum, quando scandalum graue, & graue inconueniens inde timere potest. Ex quo fit non peccare legiflatorem non obseruantem suas leges contra virtutem, quam peccant subditi, vel vteruque Suarez, & Bonacina supra, & alij relati, sed contra virtutem potestatiuam.

Sed inquires, an hæc leuis obligatio sit in legiflatore superiore respectu legum ab inferiori latarum, præcipit cum in illa prouincia, ac ciuitate commoratur, ubi regit. Quod est inquirere, an summus Pontifex, dum in aliqua diocesi specialiter existit, teneatur legibus illius? & idem est de Imperatore, & Rege, an teneatur legibus municipalibus prouinciarum? Videtur teneri, quia indecorum est, non se omnibus conformare: quæ fuit ratio supradictæ obligationis. At dicendum est minime teneri, etiam illæ leges ipso fuerint confirmatæ: tenet expressè Suarez lib. 3. de leg. cap. 35. num. 14. & adducit Felin. cap. 1. de consuet. num. 30. Tiraquell. de viroque retractis, lib. 1. gloss. 1. §. 3. num. 38. consentit Bonacina p. 6. dum non fuerint à legiflatore confirmatæ. Salas disp. 1. 4. sect. 2. num. 23. & segg. Ratio est, quia legiflator non solum est caput illius specialis prouinciæ, seu ciuitatis, in qua de facto commoratur, sed etiam aliarum, in quibus illæ leges non obseruantur. Ergo ex ratione capitis, non tenetur se aliquibus subditis præstare vniuersalem, cum alij subditi contrarij sint. Dixi, etiam ab ipso legiflatore confirmatæ sint, quia non confirmantur pro toto tuo territorio, sed aliqua illius parte. Limitat tamen Suar. num. 14. hanc doctrinam in loco proprio, domicilij legiflatores, qualis est curia Principis, in hoc enim affirmat debere legiflatorem leges illius oppidi accommodatas suæ personæ, & dignitati obseruare: quia alias occasionem præberet suo exemplo illas temerè: crederem tamen leuiorem causam sufficere ad honestandam harum transgressionem, quam transgressionem legis communis à se late.

Solum video obici posse aduersus supradicta Principem obligatum esse, sicut obligatur subditi, sequi taxam mercium à se factam: item stare legibus contractuum à se factis, si de facto constabat. Ergo obligatur grauius legibus.

Respondeo negando consequentiam, quia sequi taxam mercium, obligatur ex iure naturali, quo cauetur, ne plures vendant res, quam valet communitat: at posita taxatione, iam res illa communiter non valet plus, quam taxata est. Ergo idem dicendum est in contractibus, in quibus ex iure naturæ exposulatur æqualitas in vtroque contractentium, quapropter si contractans cum legiflatore, obligatur legibus legiflatores, & ipse legiflator stare illis debet, non quia leges illius sunt, sed quia sunt conditiones; sub quibus contractus est celebratus. Quocirca si legiflator celebret contractum cum aliquo, qui alias suis legibus est irritus, censetur in suis legibus dispensare, quia præsumitur velle actum fieri meliori modo, quo potest: vt dicit Suarez lib. 5. cap. 35. num. 25. Salas disputat. 14. sectione 3. num. 32. Bonacina disputat. 1. quest. 1. punct. 6. num. 16. vel dicendum est neurum obligatum esse, quia impossibilis est legiflatorem deobligatum manere, alio manente obligato: vel sub vna conditione aliquem ex contractentibus celebrare, quæ ab altero non acceptetur.

Ex his inferetur, si Princeps condat testamentum, sine solemnitate à se requisita, & instituat aliquem hæredem, validum esse testamentum, quia præsumitur causam habere legitimam omittendi illam solemnitatem, & secum quasi dispensando, cum in hac dispensatione nemini irrogetur iniuria: & ita traditur in lex imperfecto. C. de testament. At si aliquis instituat Principem hæredem, vel legatarium in testamento, in quo iuris forma seruata non est, neque Princeps conseq. legatum, aut hæreditatem ex illo: quia non præstet dispensatio testamenti condendo.

DE
ASTRO
PALA
TOM
II
EL

condendo, & dispensatione non facta testamentum illud nullum est, ac proinde Principi ius non potest tribuere: & ita deciditur in supradicta *l. ex imperfecto*, & *§. ult. Inst. in quibus modis testamenta inferuntur*, & tradit Glossa ibi Suarez, cap. 35, n. 25, & seqq. Bonacina part. 6, num. 17. Salas disput. 14, section. 3, num. 31. Et hæc de prima obligatione legis, quæ est obligatio ad culpam.

9 Quod si de secunda obligatione legis, quæ est ad poenam, loquamur, communis, & satis clara est decisio nullum legislatorem ligari posse poena à se statuta, quia nemo à se ipso cogi potest: neque etiam à lege imponente poenam, quia est superior ipsa lege, & præcipue, quia in nostra sententia poena imponitur ob transgressionem legis politæ à legislatore: ac legislator non est suæ legis transgressor, sed solum legis naturalis dictantis conformationem ipsius cum reliquis membris. Ergo: & ita tenent alios referens Azor, tom. 1, lib. 5, cap. 12, q. 1. Sayrus in clavi regia lib. 3, c. 3, num. 5. Valent, tom. 2, disp. 7, q. 5, p. 4. Bonacina disp. 1, quæst. 1, p. 6, num. 14. Suarez, lib. 3, cap. 35, n. 15. Salas de leg. disp. 14, sect. 2, n. 8. Valq. disp. 167, cap. 1. Lessius lib. 2, de iust. c. 3, dub. 5, & deciditur expresse in *l. Princeps*, ibi. Princeps legibus solutus est, & §. ult. Inst. in quibus modis testamenta inferuntur, ibi, licet legibus soluti simus, ac tamen legibus vivimus, hoc est, etiam nos leges non astringant, attamen ob bonum exemplum legibus conformamur: & licet videantur hæc leges sub titulo limitato comprehendendi, quia de legatis caducis, & testamentis erat titulus: ac decisio generalis est, & decisioni est standum potius, quam rubricæ, vt bene explicuit Menoch, lib. 6, præsumpt. 1.

10 Aduerto vixorem legislatoris, etiam legibus à legislatore latis subdatur: ac beneficio legislatoris exempta præsumitur, ex *l. Princeps*, ff. de legibus: & ita tradit alios referens Sayrus in clavi regia lib. 3, cap. 4. Salas de regib. disp. 14, sect. 3, num. 36. Bonacina disputat. 1, quæst. 1, punct. 6, num. 10. Suarez, lib. 3, cap. 35, num. 28.

§. II.

Infideles, pueri, ebrii, ignorantes, & amentes, quæ ratione legibus teneantur.

- 1 Infideles nullis legibus Ecclesiasticis tenentur.
- 2 Ebrii, amentes, ignorantesque iniuicibiliter legem à lege excusantur.
- 3 Pueri ante rationis usum, qui regulariter est septennio completo, legibus Ecclesiasticis non tenentur.
- 4 Post usum rationis ante pubertatem Ecclesiasticis legibus non tenentur, qui doceant.
- 5 Certa sententia est obligari pueros habentes perfectum usum rationis.
- 6 In præcepto Eucharistia esse aliquid speciale, qui sentiant.
- 7 Quid sit dicendum.
- 8 Censuris ab homine laici non adstringuntur pueri ante pubertatem.
- 9 Imò neque videntur censuris à iure, excepta excommunicatione ob percussorem clericum.
- 10 Qui non comprehenduntur sub præcepto, poterunt subministrare, & adiuuare in actione prohibita. Secus qui excusantur.
- 11 Licet infidelibus, pueris, amentibus cibos vitios subministrare: non tamen licet infidelos in monasteria monialium introducere.
- 12 Non licet ignorantibus esse diem ieiunii cibos vitios subministrare, & ad comedendum inducere.
- 13 Potes pueros ante septennium in monasteria monialium introducere, secus amentes.
- 14 Non licet tibi inuitare ad copulam amentes, ebrios, nec pueros rationis usu carentes.

1 **P**ramittamus, quæ in hac materia sunt omnino certa, vt gradum faciamus ad ea, quæ aliquam dubitationem habent. Primum certum est infideles nullis legibus Ecclesiasticis tenentur, quia sunt extra Ecclesiam, & in illos nullam Ecclesia habet iurisdictionem, cap. gaudemus, de dinor. ac tenentur legibus naturalibus, & diuinis, quia Deo, & rationi subduntur. Ex quo inferitur, an teneantur Eucharistiam sumere, & peccent mortales non solum in non suscipiendo Baptismo, sed etiam in non recipienda Eucharistia: vtraque opinio est probabilis. Quid autem sit probabilis, in tractatu de Eucharistia definiemus.

2 Secundum certum est ebrios, & amentes, sicut & ignorantes iniuicibiliter legem, tempore amentis, & ebrietatis, & ignorantie excusari à legis transgressionem, quia illius rei esse non poterant sine libertate, quæ omnino carent. At dicendi sunt legibus effici, sicut & afficiuntur dormientes, quia suapte natura legem intelligere possunt, & ad illos, vt ad subditos, per se dirigitur sic Sanchez lib. 1, in Decal. cap. 12, n. 3.

3 Tertium certum est pueros ante usum rationis, qui regu-

lariter habetur completo septennio, nullis legibus Ecclesiasticis tenentur, quia fundamentum harum obligationum, est rationis usus. Quapropter possunt lacticiis, & carnis vesci, diuinis interesse tempore interditi, montium claustra ingredi: sic Salas disp. 14, de leg. sect. 13. Sayrus clavi regia, lib. 6, cap. 8, n. 21. Azor tom. 1, lib. 7, cap. 40, q. 6. Sanchez lib. 1, in Decal. c. 11, n. 2. Suar. tom. 3, in 3. p. disp. 40, sect. 2, vers. & iuxta hanc Bonac. disp. 1, de legib. q. 1, p. 6, n. 6. & alij plures ab eisdem relati. Videntur tamen tenentur legibus naturalibus, quia harum obligatio cum ipsa natura ortum habet, quæ de se capax rationis est, excusantur tamen à transgressionem, & peccato, donec perfectum usum rationis obtineant: sicut de perpetuo amentibus dicendum est, si enim legibus tenentur, excusantur tamen ab illarum obligatione ob amentiam. Quando verò dubium est, an rationis usum habuerint, præsumendi sunt habere, si compleuerint septennium, secus antea, vt diximus in tract. de conscientia, loquentes de conscientia dubia, quia præsumptio defensionis est ex communiter contingentibus. Addeque Ioan. Sanchez in suis select. disp. 51, num. 31. sine, etiam constaret puerum ante septennium habere usum rationis, non obinde obligari legibus iuris positius, quia leges positivæ attendunt ad ea, quæ communiter contingunt. *l. nam ad ea, ff. de legib.* & cum communiter non contingat usus rationis ante septennium, non debet ante illam ætatem, cui ex accidenti prouenit, obligari.

4 Post usum verò rationis ante pubertatem non defuerunt Doctores, qui affirmarent legibus Ecclesiasticis non tenentur: nam D. Anton. 2. part. tit. 9, c. 8, §. 2. affirmat præcepto confessionis non tenentur pueros, vtque ad decimum, & dimidium annum, & aliquantulum ultra, & feminas, vtque ad nouum, & dimidium annum, & aliquantulum ultra. Sotus 4. dist. 12, q. 1, art. 11, ad fin. corp. dicit vtque ad duodecimum non tenent pueros vllis Ecclesiæ præceptis, nec confessionibus. Eman. Saá verb. confessio, n. 3, consentit præceptum confessionis non obligare vtque ad pubertatem, addit verò in summis reformatis ad poenas non consentibus impostas. Henric. lib. 8, de Euch. c. 42, n. 5, inie. censet Ecclesiæ præceptis non obligari pueros, statim ac usum rationis habent, & lib. 13, de excomm. cap. 49, num. 2, in comm. lib. N. dicit dari his lacticiis, & carnes aliquo tempore post usum rationis, in diebus ieiunii. Quod autem hoc tempus sit, non determinat.

5 Vera tamen sententia, & omnino tenenda, est pueros, cum ad usum rationis perueniant, qui communiter intelligi tur aduenire septennio completo, obligari legibus Ecclesiæ, quæ expresse tempus obligationis non determinat: sicut determinat in præcepto ieiunii, tenet expresse Th. Sanchez, plures referens lib. 1, cap. 12, n. 6. Bonac. disp. 1, q. 1, p. 6, n. 8. Salas de leg. disp. 14, sect. 13, specialiter de præcepto confessionis, & Missæ, docet Suar. 4. tom. in 3. p. disp. 40, sect. 2, num. 6. Azor, tom. 1, lib. 7, cap. 40, q. 1, & c. 40, q. 6. & de abstinencia à carnibus, & lacticiis, docet idem Suar. Azor & alij relati à Sanchez supra. Ratio efficax est, quia eo ipso, quod usum rationis quæ habet, capax est legis humanæ obligationis, siquidem quæ est obligationis legis naturalis, & diuinæ. Ergo si expresse non inuenitur exceptus lege, obligatur illa. Et de præcepto confessionis videtur res indubitata, cum in *omnia vtriusque sexus*, præcipitur omnibus fidelibus, cum ad annos discretionis peruenierint, confiteri, cuius præcepti transgressores erunt pueri, si discretionem habentes confessionem omittant, consilij peccati mortalis. Neque alia via ab hoc præcepto, & aliis se excusare possunt, nisi affirmando discretionem perfectam ad illius obsequium, non habere, est enim res indubitata non æqualiter usum rationis omnimaterie aduenire, aliqua enim sunt clariora, alia difficiliora: vt bene dicit Valquez 1. 2, disp. 149, per totam: & Zemel ibi q. 29, art. 5, sicut non omnibus eodem tempore aduenit, pueris enim nobilibus, & inter urbanos: & politicis educatis, citius usus rationis prouenit, quam rusticis, & agrestibus: vt Reginaldus tom. 2, lib. 29, num. 22. Quocirca dicere quis poterit puerum septennio completo peccare posse iurando, amentiendo, non tamen comedendo carnes die Veneris, aut omittendo annum confessionem, quia discretionem sufficientem in his materiis non habet. At, vt diximus in tract. de conscientia disp. 3, de conscientia dubia, quoties dubium est puerum habere usum rationis, præsumendum est habere, & esse obligatum, si impleuit septennium, quia regulariter illo completo in omni materia usus rationis habetur, & alleganti contrarium incumbit onus probandi, cum aduersus præsumptionem oram ex communiter contingentibus procedat.

6 Limitant tamen hæc sententiam communiter DD. in præcepto communionis, de quo affirmant non tenent statim, ac usum rationis habent, sed expectari posse, & debere vtque ad decimum, vel duodecimum annum, quia vtque ad illud tempus regulariter non videntur pueri habere discretionem, vt reuerenter Christi corpus sumant. Quapropter in *omnia vtriusque sexus*, vbi hoc præceptum imponitur, Confessoris iudicio remittitur temporis prorogatio: ac quilibet Confessor ex iudicio prudenter, & considerandine Ecclesiæ satis recepta hæc prorogationem facit. Ergo illa facta iam puer Ecclesiæ præcepto non tenetur.